

Floruit apud nos *Lysimachia lutea angustifolia*, flore minore. *Pluk. Alm.* 285. t. 202. f. 7. an? planta altissima biennis flore primo die albo, dein rubro, fructu facie Seminis Fagopyri, sed tetraedro, quadriloculari, monospermo nec dehiscente.* Si non habes mittam Semina copiosissima spectatissimæ plantæ et biennis.

Buffoni liber a nonnullis nostratum admiratur; Chemiæ professor noster in scholis nostris resuscitavit Generationem æquivocam, quam demonstrat ex autoritate summi Buffoni; negat strenue Corallia oriri ex animalibus, sed Læfling nuper misit ad Acad. Holmicens. observationem de duobus Coralliis cum eorum animalculis et methodam eorum fabricandi corallia, tamen negat Vallerius, quæ tu primus tam solide demonstrasti, Itali et alii confirmarunt; ego rideo ejus inscitiam.

Læflingius noster plurimum laudat D. Godin † vestratem, cujus favore multoties usus est apud proceres Hispaniæ; si nunc sit Parisiis, quæso nomine Floræ ipsi grates agas, quod [eam?] ejusque genuinum filium tanto amore et favore prosecutus sit.

Duas Dissertationes *de novis plantarum generibus* et *de plantis hybridis* mittam mense Martio una cum Seminibus quas possideo.

Hisce diebus periit Bocconia a Te præterito anno missa, nondum flores proferens, meo insigni cum dolore.

Infito desiderio expecto fratris Tui junioris reditum; utinam de ejus felici accessu me primum participem redderes. Utinam meæ per Te preces efficerent ut aliquot in duplo plantas mihi daret.

D'Isnardi herbarium ‡ publicâ auctione, ut intellexi, ante aliquot annos divendebatur; sed ille qui emerat vellet idem divendere, procurare possem ipsi pecunias, modo non nimis enormes.

Accepi heri supplementa *Materiæ Medicæ D. Geoffroy* in quibus tua ubique lucet sapientia,§ pro quâ tibi grates agimus omnes.

* Ex breviori descriptione planta est Onagrariæ; e characteribus fructûs Gauræ species; ideoque ab icone citatâ Plukenetii, quæ potius *Ænothæræ*, diversa.

† Ludovicus GODIN Acad. Reg. Sc. Paris. socius, unus ex astronomis in Peruviam missis (vid. supra, not.) et clarissimorum Bougue et Lacondamine docti laboris particeps, anno tantum 1751 remeavit, sed conditione post productam diutius absentiam in patriâ non sufficiente, in Hispaniam migravit scholæ nauticæ Gaditanæ præpositus, ubi post annos circiter decem, Galliam jamjam rediturus, obiit.

‡ Vide supra, not. * ad p. 186.

§ Stephani Francisci Geoffroy *De Materiâ Medicâ Tractatus* volumina tria Latine prodierant anno 1741, et mox versio ab Ant. Bergier Gallica. Idem, post obitum auctoris opus persecutus est (*Suite de la Matière Médicale de M. Geoffroy*, 1750), cujus in præfatione legitur: "Un illustre médecin, M. Bernard de Jussieu, nous a aidé de ses lumières et a bien voulu revoir notre travail. Ainsi c'est en partie à ce savant naturaliste qu'on doit l'ouvrage qui paraît dans le public; nous lui en cedons avec plaisir toute la gloire, et nous nous bornons à la satisfaction d'avoir tâché de nous rendre utiles."